

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Martini Chemnitii, Doctoris Theologi celeberrimi, Harmonia Quatuor Evangelistarum

Quam ab Eodem feliciter inchoatam ... D. Polycarpus Lyserus, et D.
Johannes Gerhardus, ... Is quidem continuavit, Hic perfecit ; Opus
Eruditionis Stupendæ, Orthodoxorum consensu approbatum, idemque tot
Eruditorum desideriis adhuc expetitur

Qui D. Johannis Gerhardi Continuationis Partes Tertiam, Quartam,
Quintam, Eamque postremam complectitur - Denuo nunc in Lucem prodit,
Cum jndicibus ...

**Gerhard, Johann
Chemnitz, Martin
Leyser, Polycarp**

Hamburgi, MDCCIII

VD18 90617819

Caput CXCVII. Christus In Monte Golgotha Myrrhato Vino Potatur.

urn:nbn:de:gbv:45:1-17617

CAPUT CXCVII

CHRISTUS IN MONTE GOLGOTHA MYRRHATO
VINO POTATUR.

Matth. 27 v. 33. Marc. 15. v. 22.

RATIO ORDINIS.



Uid post concionem ad mulieres Hierosolymitanas in eductionis processione à Christo habitam præterea in via contigerit, non commemorant Evangelistæ, rectâ enim deducunt Christum ad montem Golgotha, qui fuit locus supplicii. Ante crucifixionem exhibitum fuit Christo *vinum myrrhatum*, ut Marcus loquitur, vel ut Matthæus scribit, *acetum cum felle mixtum*, quod, quo

sine factum fuerit, postea dispicietur. Hanc vini myrrhati exhibitionem in monte Calvariæ, non autem in ipso itinere contrigisse, evidenter patet ex serie descriptionis. Matthæus dicit, *ἐλθόντες, cum venissent in locum dictum Golgotha dederunt ei acetum &c.* Marcus eodem modo: *Et perducunt illum in locum Calvariæ, & dabant ei bibere myrrhatum vinum.*

CHRISTUS IN MONTE GOLGOTHA MYRRHATO VINO POTATUR.

MATTH. 27.

33. Καὶ ἐλθόντες εἰς τόπον λεγόμενον Γολγοθᾶ, ὅς ἐστι λεγόμενον Κρανίος τόπος.
34. Ἐδωκαν αὐτῷ (Ἰησοῦ) πτείν ὄζος μὲν χολῆς μεμιγμένον καὶ ζευσάμενον, ἃ καὶ ἠθέλε πτείν.

33. Et venerunt in locum, qui dicitur Golgotha, quod est Calvarie locus.
34. Et dederunt ei (Jesu) acetum bibere cum felle mixtum: Et cum gustasset, noluit bibere.

MARC. 15.

22. Καὶ φέρουσιν αὐτὸν (Ἰησοῦ) ἐπὶ Γολγοθᾶ τόπον, ὅς ἐστι μεθερμηνευόμενον Κρανίος τόπος.
23. Καὶ εἶδεν αὐτὸ πτείν ἐσμουσιμένον οἶνον, ὃ ἃ καὶ ἔλαβε.

22. Et ducunt eum (Jesum) in Golgotha locum, quod est, si interpreteris, Calvarie locus.
23. Et dederunt illi bibere myrrhatum vinum: sed ille non sumpsit.

DE COAGMENTATIONE CIRCUMSTANTIARUM
HUIUS HISTORIÆ.

Marcus dicit, Christum *vinum myrrhatum sibi ad potum oblatum non accepisse*. Matthæus verò dicit, Christum, *cum gustasset potum sibi oblatum, noluisse eum bibere*. Hæc videntur inter se pugnare. Si enim non accepit, quomodo gustavit? vel si gustavit, quomodo non accepit? Quidam ex eo colligunt, alium fuisse potum, quem Matthæus, alium verò, quem Marcus describit, & illum quidem à Christo fuisse gustatum, hunc verò minimè. Sed Augustinus & Theophylactus rectè statuunt, quòd Marcus verbis hisce *ἐκ ἔλαβε*, idem omninò signi-

ficare voluerit, quod Matthæus significat, dicens, *cum gustasset, noluit bibere*. Gustavit quidem Christus potum sibi oblatum primoribus labris, sed noluit eum pleno hauustu bibere, nec accepit eo modo, ut bibendo intra se assumeret. Chrysostomus homil. 87. in Matth. *ἔθεν διέσηκε τὸ ἀσπλῶς ζευσάσθαι τὸ μὴ πτείν, ἀλλ' ἐν τῇ καὶ τὸ αὐτὸ δηλοῖ*. Nihil interest inter *gustare simpliciter & non bibere, sed de uno ac eodem dicuntur*. Verba igitur Matthæi ἐξηγήσεως & αἰτιολογίας loco verbis Marci in Harmonia subjungetur.

HARMONIA HUIUS HISTORIÆ.

Καὶ φέρουσιν αὐτὸν (Ἰησοῦ) καὶ ἐλθόντες εἰς (ἐπὶ) τόπον λεγόμενον Ἑβραϊστὶ Γολγοθᾶ, ὃ δὲ μεθερμηνευόμενον (ὅς ἐστι λεγόμενον) Κρανίος τόπος (εἰς τὸν λεγόμενον Κρανίος τόπον ὃς λέγεται Γολγοθᾶ) καὶ εἶδεν (ἔδωκαν) αὐτῷ πτείν ἐσμουσιμένον οἶνον, ὃ ὅς μὲν χολῆς μεμιγμένον, ὃ ἃ καὶ ἔλαβε, ζευσάμενον (ἃ) καὶ ἠθέλε πτείν.

Et ducunt eum (Jesum) & venerunt in locum, qui dicitur Hebraicè Golgotha, quod est, si interpreteris (qui dicitur) Calvarie locus, (in locum Calvarie, qui dicitur Golgotha) et dederunt illi bibere myrrhatum vinum acetum cum felle mixtum, sed ille non sumpsit, cum (enim) gustasset, noluit bibere.

Exegetis

Exegesis hujus Historiæ.

Sicut reliqua omnia, quæ Christo in Historia passionis obvennerunt à Prophetis in V. T. fuere prædicta, ita quoq; illud quod vino myrrhato ante crucifixionem potatus fuerit, à Davide prænunciatum est Pf. 69. v. 22. Dederunt mihi in escam fel, & in siti mea potaverunt me aceto. Quod enim hic Psalmus non contineat Davidis de suis clamitatibus querelas, sed vaticinium de illis quæ Christo obventuræ erant calamitatibus colligitur non solum ex Evangelistarum & Apostolorum in N. T. explicatione Matth. 27. v. 48. Marc. 15. v. 36. Joh. 2. v. 17. c. 19. v. 28. 29. Act. 1. v. 20. Rom. 15. v. 3. 9. & 10. sed etiam ex accurata omnium membrorum consideratione. Complementum istius vaticinii describitur in hac pericope cujus partes sunt duo. in 1. exponitur supplicii locus. in 2. potus Christo ante crucifixionem exhibitus. 1. Locus supplicii fuit terminus eductionis ex urbe Hierosolyma, videlicet mons Golgotha. Ducunt eum scilicet lictores, carnifices & reliqui executionis ministri, ac venerunt comitantibus Proceribus Judaicis ac turbâ plurimâ in locum, qui dicitur Hebraicè Golgotha, quod est, si interpretetur, Calvarie locus. Golgotha erat locus publicis suppliciis infamis, vicinus urbi Hierosolymæ Ioh. 19. v. 20. ad plagam occidentalem, quâ parte vergit in Septentrionem in monte petroso & mediocriter alto situs, quâ erat viâ in Silo & Gabaon, nomen habet ex eo, quod crania damnatorum ibi magno numero jacerent. גלגלת Chald. גלגל is est *cranium* à figura spherica sive rotunditate sic dictum, vocatur enim Hebraicè גלגל sphaera quicquid in circulum volvitur vel circumvolvitur à גלגל *volvit, convolvit*, inde est nomen גולגולת pro גולגולת positum. Syriacè גולגולת locus cranii, dictus scilicet à craniis hominum, de quibus sumtum erat supplicium ibidem jacentibus. Dicendū ergo fuisset Golgotha duplici ut ostendit etymologiæ ratio, sed Græci & Latini euphoniæ causâ I posteriori omiserunt, sicut Syrus omisit prius, vocans locum גולגולת. Hieron. in lib. de vocibus Hebraicis apud Matth. admonet, Golgotha esse verbum Chaldaicum vel Syriacum, non autem Hebræum, quod comprobatur ipsa terminatio, proinde quod Iohannes dicit locum illum גולגולת Hebraicè dictum fuisse Golgotha, id accipiendum de lingua Hebraicâ tunc usitata. Cum enim Iudæi ex Babylonica captivitate rediissent, non amplius utebantur purâ linguâ Hebræâ, sed Chaldaicos idiotismos illi immiscebant, quo sensu etiam alibi in novo Testamento appellatio Hebrææ linguæ usurpatur. Ioh. 5. v. 2. c. 19. v. 13. Act. 21. v. 40. cap. 22. v. 2. c. 26. v. 14. Olim fuit mons Golgotha sive Calvarie extra urbem situs, ut Historia eductionis manifestè ostendit, sed in hodierna Hierosolyma, Ælia dicta, ipsis muris ac mœnibus circumcluditur, sicut & sepulchrum Dominicum, quia Ælius Adrianus novam Hierosolymam à se conditam sic extruxit, ut ipso urbis ambitu mons iste contineretur. Porrò multi ex veteribus statuunt, montem Golgotha nomen habere à Calvaria Adæ ibidem sepulti. Terrull. in carmine lib. 2. adv. Marc. c. 4.

Golgotha locus est capitis Calvaria quondam
Lingua paterna prior sic illum nomine dixit;
Hic medium terre est, hic est victoria signum.
Os magnum hic veteres nostri docuere repertum.
Hic hominum primum suscepimus esse sepulchrum.
Hic patitur Christus, pia sanguine terra madescit,
Pulvis Adæ ut possit veteris cum sanguine Christi
Commixtus, stillantem aqua virtute levare.

Orig. tract. 35. in Matth. Venit ad me traditio talis, quod corpus Adæ ibi sepultum est, ubi crucifixus est Dominus, ut sicut in Adam omnes moriuntur, sic in Christo omnes vivificentur, ut in loco illo, qui dicitur Calvarie locus, id est, locus capitis, caput humani generis resurrectionem inveniat cum populo universo per resurrectionem Domini Salvatoris, qui ibi passus est & resurrexit. Cyprian. serm. de resurrectione. Creditur à piis, sanguinem Christi in cruce suspensi in Calvariam Adæ defluxisse, qui eo in loco fuerit sepultus. Chrysostr. homil. 85. in Joh. edit. Græc. τὴν Καλιβρίαν ἐκεῖ (in monte Calvarie) τὸν Ἀδὰμ περὶ τὴν κρῆνην καὶ κείθεν, καὶ τὸν Ἰησοῦν (ἐν τῷ τοπῷ) ἐν ᾧ ὁ θάνατος ἐκαταστάθη, ἐκεῖ καὶ τὸ θεοπασιον εἶχε, Christum ubi mors dominata est, ibidem trophæum erexisse. Epiphanius hæres. 46. contra Tatianos circa finem libri primi: Μιρρὰν λικετ de eo, qui novit, velut etiam in libris reperimus, Dominum nostrum Jesum Christum in Golgotha crucifixum esse & non alibi, quàm ubi corpus Adam jacebat. Egrethus enim de Paradiso, cum habitasset è regione ipsius multo tempore & per multos dies pervenisset, postea abiit eò & in loco hoc Hierosolymorum videlicet debitum nature persolvens illic sepultus est in loco Golgotha, unde merito cognomen habuit locus, quem Cranii sive Calvarie locum interpretantur, cujus nominis similitudinem aliquam figurâ loci non ostendit. Neque enim in altitudine quadam situs est, ut hoc cranium interpretetur, velut in corpore capitis locus dicitur. Neque specula interpretationem facere possit, nam neque reliquis locis altior est. E regione enim est mons olivæ altior & à signis octo, Gabaon est altissima. Sed & altitudo, quæ olim erat in Sion, nunc verò disjecta est, & ipsa altior loco illo fuit. Unde igitur cognominatio cranii est? imò quia primum formati hominis Adam Calvaria illic inventa est & illic reliquæ sitæ erant, ea de causâ cranii locus cognominatus est, in quo crucifixus Christus per aquam & sanguinem, qui fluxit ab ipso per compunctum ipsius latus, in enigmate salutem nostram ostendit, ab initio massæ primæ Patris reliquias respergere auspicatus, quod etiam nobis ostenderet respirationem sanguinis ipsius ad mundationem nostræ iniquationis & animæ penitentis & in exemplum rigationis ac purificationis sordiam peccatorum nostrorum facta esse, effusam videlicet aquam superjacentem sub loco & sepultum in spem ipsius & nostram, qui ab ipso geniti sumus. Ambros. in Luc. Ipse crucis locus supra Adæ, ut Hebræi disputant, sepulturam, congruebat quippe, ut ibi vitæ nostræ primitiæ locarentur, ubi fuerant mortis exordia. Idem repetit lib. 5. Epist. 19. Nonnus Poëta eruditissimus & antiquissimus itidem statuit, nomen loco inditum à Calvaria Adæ. Augustin. serm. 71. de temp. Audite aliud Sacramentum, fratres carissimi. Hieronymus presbiter scripsit ab antiquis Iudæis se certissimè cognovisse, quod Adam primus homo in ipso loco, ubi crux fixa est, fuerit aliquando sepultus & ideo

ideo Calvaria locum dictum esse, quod caput humani generis ibi sepultum sit. Et verè fratres non incongrue creditur, quod ibi erētus sit Medicus, ubi jacebat agrotus. Locus Hieronymi, quem Augustinus citat, extat in Epistol. ad Marcell. Locus (inquit) in quo crucifixus est Dominus, Calvaria appellatur, scilicet quod ibi sit antiqui hominis, id est, Adami Calvaria condita. Theophylactus in cap. 27. Matth. Traditio est que à priscis Patribus usq. ad nos pervenit, quod Adam in monte Calvaria sepultus est &c. Idem referunt Basil. in quadam oratione citante Cyrillo apud Metaphrasten die 11. Jan. Athanas. de pass. & cruce. Ecquis ergo opinionem illam repudiare audeat? venditatur nomine traditionis à priscis Patribus accepta, habet consensum veterum, jucundam præbet allegoriam, conjecturâ nititur probabili &c. sed Hieronymus in cap. 27. Matth. rectè eam refellit exemplo memorabili, quæ sit Ecclesiæ libertas in acceptandis traditionibus extra Scripturam propositis. Favorabilis (inquit) est interpretatio scilicet de Calvaria Adæ in Golgotha sepulti, & muliens aurem populi, nec tamen vera, postea subjungit veram appellationis rationem. Extra urbem & foras portam loca sunt, in quibus truncantur capita damnatorum & Calvaria, id est, decollatorum sumere nomen. Hieronymi sententiam amplectitur etiam Beda & rectè. Si enim Judæi novissent Adamum primum humani generis parentem ibi sepultum, quomodo locum sepulturæ protoplasti insignem, facinorosorum cadibus & sepulcris inquinassent? Hieronym. d. l. aliud affert argumentum: Si quispiam, inquit, contendere vellet, ideo ibi Dominum crucifixum, ut sanguis ipsius super Adæ tumulum desillaret, interrogemus eum quare & hi duo latrones crucifixi sunt cum illo? Glossa ordinaria opinionem illam refellit ex eo, quod Adam Jos 14. v. 15. dicitur sepultus in Hebron, quæ olim dicta fuerit Ciritharba. Hebron (inquit) antiquitus dicebatur Ciritharba, id est, civitas quatuor, quia quatuor, magni Patriarchæ sunt ibi sepulti. Statuendum igitur, montem Calvaria à craniis damnatorum & supplicio affectorum sic dictum, ut singulare *rogis* positum sit pro plurali, & craniorum appellatione *ovvero do xi-22;* intelligantur ossa interfectorum, eorum scilicet hominum, qui ob facinora sua ultimo supplicio ibidem affici & sepeliri consueverant. Quibusdam improbabile videtur Calvarias & ossa hominum à Judæis insepulta fuisse relicta, existimant igitur montem Calvaria dictum à craniis, quæ in sepulchro erant: sed facinorosis sepulturae honorem fuisse denegatum, vel certè corpora ipsorum humo leviter ingestâ fuisse occultata, ita ut bestia ea eruerent, colligunt ex eo, quod Scriptura meminit sepulture asini, quæ corpora mortuorum insepulta dejiciebantur. Est qui statuit Calvaria montem à similitudine sic dictum fuisse, propterea quod esset calvus arboribus, carens herbis, totus laxosus ac sterilis & proinde damnatorum suppliciiis destinatus, quod nos in medio relinquimus. Sic igitur apparet à militibus crucifixoribus & Judæis nihil reliquum fuisse factum, quod ad extremam Christi ignominiam facere posset. Ducunt eum latronibus ab utroque latere cinctum, ducunt non ad forum, vel alium locum honestiorem, sed ad Calvariam pu-

Harm. Tom. III. vel Gerhard. Cont. pars quarta.

blicis suppliciiis infamem & omnibus abominabilem. Mons ille à quodam veterum sic describitur, quod fuerit ascensu arduus, aspectu horridus, morientibus in eo inhonestus subsistentibus in eo gurgulens, in hunc igitur montem ascendit Christus nostri causâ, ut à tristi illo descensu nos liberaret, de quo Matth. 11. v. 23. *descendes usq. in infernum, & cap. 25. v. 41. discedite à me maledicti in ignem æternum.* Ductus est ad locum supplicii, ut ab æterno supplicio nos liberaret. Tanquam facinorosus cum facinorosis ad locum facinosorum ductus est, ut nos facinorosos liberaret. In loco infami ac maledicto sanguinem suum effundere voluit, ut terram propter peccatum maledictam sanguine suo iterum expiaret. Golgatha erat dampnatorum area, nec fuit locus immundior in oculis Judæorum, Christus ad eum se perducere passus est, ut in extremas immundities nostras se demittens, eas emundaret, ex profundis enim hisce abominatibus voluit erigere per crucem suam, scalam ad cælos usque pertingentem, in qua & per quam ex nostris immundiciis unâ cum illo elevari ad regnum gloriæ possimus. In hoc monte Golgathæ Christus factorem pessimum ac cadaveribus damnatorum exhalantem sanctissimis suis naribus hausit, ut ab infernali sulphuris odore nos liberaret. Propter peccatum abjiciendi eramus in stagnum ignis sulphure ardens Apocal. 19. v. 20. sed Christus petilentissimum factorem propter nos hausit, ut ab hac debita peccatorum nostrorum poena liberaremur. Judæi templum Hierosolymitanum prophanaverant, & ex eo speculam latronum fecerant. Christus montem Calvaria sacravit & ex illa latronum spelunca fecit templum sanctissimum, siquidem in cruce & docuit, & oravit & sacrificavit. Solenne est heroibus bellicis, ut florentissimum, quendam campum ad monomachiam deligant, sed nemo inventus fuit hactenus, qui in loco cadaveroso & graveolente congressum hostilem alteri denunciaret, solus Christus in tali loco Diabolum hostem suum ac nostrum est aggressus. Illi enim duo potentissimi Principes, Diabolus fortis armatus & fortior adhuc Christus Lucæ 11. v. 21. in illa putidissima maleolentium cadaverum strue, in monte scilicet Calvaria invicem pugnarunt ac debellarunt: alter ibi pulchrâ & gloriosâ morte occubuit, alter verò potestatem omnem perdidit. Sic ergo non obstitit Christo loci fœditas, quod minus gloriosum victoriae suæ trophaum in hoc monte erigeret, nec obstitit fœdor cadaverum illic jacentium, quod minus seipsum Patri suo offerret victimam in odorem suavitatis Eph. 5. v. 2. Sicut aneus serpens suspensus fuit in medio eorum qui à serpentibus icti & infecti fuerant Num. 21. v. 9. sic Christus in medio facinorosorum in crucem levare inque ea mori voluit, ut nobis qui in latrones incidimus Luc. 10. vers. 30. amissa per lapsum bona restitueret. Nos omnes propter carnalem ex Adamo propagationem sumus coram Deo malefici ac latrones, descendimus enim ab eo qui fuit latro maximus, suipius scilicet & omnium posteriorum intersector, sumus mortui in peccatis Eph. 2. vers. 1. sed Christus ad nos veniens crucem suam inter nos erigit, & sanguine suo ex crucis ligno super nos stillante iterum nos vivificat, sicut Pelicanus pullos suos à serpente occisos sanguine suo

suo iterum vivificat rostro pectus pertundens & sanguinem vitæ fontem ex eo proliciens. Cæterum quia mons Golgotha vicinus fuit monti Moria, in quo Isaac immolari debebat Genes. 22. vers. 2. inde nata est traditio, quod in eodem loco Christus crucifixus sit, ubi Isaac immolari debuit. Augustin. sermon. 71. de tempor. *Hieronymus scripsit ab antiquis & senioribus Judæis se certissimè cognovisse, quod ibi immolatus sit Isaac, ubi postea Christus crucifixus est.* Locus Hieronymi extat in capit. 15. Marci, quem sequitur etiam Beda in libro de locis sanct. cap. 2. Hæc traditio majorem habet probabilitatem, quam prior de Calvaria Adæ ibidem sepulti. Quamvis enim mons Moriah in ipsa urbe tunc temporis situs ac proinde distinctus fuerit à monte Calvaria extra urbem sito, olim tamen extra urbem fuit atque à Davide primum unà cum monte Acra in urbem est receptus. Ac pulchra est observatio, quod Genes. 22. vers. 2. generaliter appelletur terra Moriah totus ille tractus circa Salem sive Jebus, Jerusalem postea dictam, postea verò in specie exprimitur locus immolationis Isaac: *Vade in terram Moria, ibi offeres filium tuum in holocaustum super unum montium, quem monstravero tibi.* Fieri ergo potuit, ut mons Calvaria fuerit mons ille in terra Moria, super quem immolandus erat Isaac. Conveniet etiam ipsa appellatio, Moria enim est *myrrha Dei*, ut enim myrrha suavem præbet odorem, sic Christus in monte Calvaria obtulit se Deo in odorem suavitatis. Ac referri huc potest dictum Cantic. 4. v. 6. *Vadam ad montem myrrhae & ad collem thuris.* Mons ille myrrhae est mons Golgotha, in quo vinum myrrhatum Christo fuit exhibitum & in quo amarum mortem sustinuit. Idem mons est collis thuris, quia scilicet Christumors est odor fragrantia coram Deo, ad hunc montem myrrhae cum sponâ Christi festinamus non passibus corporeis, sed affectu mentis & devotione cordis. In monte Moria etiam sita fuit area Araunæ Jebusæi, in qua David tempore pestis altare extruxit & sacrificii odore iram Dei placavit. 2 Samuel. 24. v. 25. quo loco postea extractum fuit templum Salomonis 1. Paral. 22. vers. 1. sic ergo denotatum fuit, Christum sacrificio corporis sui in hoc monte oblato placasse iram Patris cælestis & typicis Veter. Testament. sacrificiis finem imposuisse. Veteres præsertim Hieronym. in cap. 5. Ezech. Cyrill. Hierosolymit. catech. 13. &c. observant, Hierosolymam, adeoque etiam montem Golgothæ fuisse in medio *ὀίκου μένης* situm, quod confirmat alicubi Aben Ezra, Siquidem Ezech. 38. v. 12. Hierosolyma vocatur *umbilicus terræ*, quod tamen Joseph. lib. 3. de bell. Jud. cap. 4. exponit non de toto orbe habitabili, sed de terra Judæa tantum, proinde Christus in meditullio terræ fuit passus & mortuus, eo significatum est, fructum passionis & mortis ad omnes gentes æqualiter pertinere. Hilar. in Matth. *Locus crucis talis est, ut positus in medio terræ, & tanquam in vertice hujus universitatis insistentis ad capeffendam Dei cognitionem universis gentibus esset æqualis.* Arbor vitæ collocata erat in medio Paradisi Genes. 2. vers. 9. sic Christus lignum crucis, in quo vitam æternam nobis peperit, in medio orbis erigi voluit. Veteres huc accommodant dictum Psalm. 74. vers. 12. *Deus Rex noster salutem operatus est in medio terræ.* Cyrill. 1. d. *Medium terræ est Gol-*

gotha. Non meus hic est sermo, Propbeta dicit, operatus est salutem in medio terræ.

2. Potus ante supplicium Christo datus. Matthæus dicit, quod dederint ei *acetum cum felle mixtum*, Marcus verò appellat *vinum myrrhatum*. Hæc quomodo concilianda sint; plurimum variant Interpretes. Illud primò certum est, potum, quem hæc verbis Matthæus & Marcus describunt, distinctum esse ab eo, quem postea Christo in cruce actò & de siti conquerenti oblatum fuisse Evangelistæ omnes commemorant, ille enim datus fuit ante crucifixionem, hic verò Christo jamdum in cruce actò; ille datus fuit ex vulgari more, hic verò præter morem, quia Christus de siti conquerebatur, uterque tamen testis est malicia & crudelitatis eorum, à quibus Christo hic potus fuit exhibitus. Proverb. 31. vers. 6. tale proponitur præceptum: *Date scieram merentibus, vinum his, qui amaro sunt animo*, inde promanavit mos apud Judæos, ut vinum aromaticum daretur condemnatis ad mortem, quò minus horrorem supplicii atterenderent. Quidam ergo statuunt hanc refeculationem etiam Christo contigisse, non quidem à militibus, sed à religiosis matronis, quæ ipsum comitabantur. Beza in cap. 15. Marci, per vinum *ἑσμουρῆς μένου* intelligit *myrrhinam sive mirinam Romanorum*, quæ erant virtum dulce, quo mulieres Romanæ infirmis delectabantur, quod propterea nectar vocabatur, ut constat ex Plinio libr. 14. cap. 13. Gellio, Plauto & aliis. Statuunt autem duplex genus vini myrrhati sive myrrhinæ præcis usitatum. Unum quod merum erat vinum, sed infusum in pocula myrrhea contrahebat ex illis jucundum odorem ac saporem, ut præ cæteris vinis ad potum esset gravissimum. Alterum, quod erat vinum conditum myrrhâ, calamo aliisque aromatibus, aut mistum aquâ cum aromatibus hæc coctâ, quod ipsum quoque non erat amarum, sed potu jucundum ac suave. Baron. tom. 1. annal. ann. 34. numer. 95. existimat, prioris generis myrrheum vinum Christo fuisse oblatum, sed accurate refellitur à Casaubono exercit. 16. cap. 80. quod hæc interpretatio vocis *ἑσμουρῆς μένου*, sit nova, aliena, absurdâ & falsâ, cum nulli veterum interpretum in mentem venerit, cum Syriaca & Arabica paraphrasibus sic verterint, *vinum in quo myrrha erat mixta*, cum non possit simili quadam analogiâ ostendi vinum *ἑσμουρῆς μένου* dici, quod in myrrhinis propinatur &c. Sed nec posterius vini myrrhei genus Christo exhibitum fuisse verisimile est. Si enim vel maxime præ ac religiofæ matronæ Christo illud exhibere voluissent, Judæi tamen ac milites, quæ ipsorum erat crudelitas, id haudquam permisisissent. Adde quod vinum illud *ἑσμουρῆς μένου* Matthæus vocat *acetum cum felle mixtum*, quæ descriptio vino suavi ac jucundo minimè omnium comperit. Si fuisset dulce nectar, cur inter reliquas excarnificationes hic potus ab Evangelistis recenseretur? Præterea fellic appellatio remittit nos ad vaticinium Psalm. 69. v. 22. *Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potaverunt me aceto*, cujus vaticinii pars prior impleta est in hoc potu ante crucifixionem Christo exhibitò, pars autem posterior impleta est in potu Christo de siti in cruce conquerenti dato. Fundamento igitur caret, quod quidam existimant vinum illud *ἑσμουρῆς μένου* fuisse dul-

ce ac

ce ac delicatum à mulierculis Galilæis vel aliis religiosis feminis allatum, quod Christus idè recu-
saverit bibere, quia nullam voluerit consolatio-
nem admittere inter afflictiones, ut eò copiosius
pro nobis satisfaceret. Sed ostendit collatio,
unum eundemque potum à Matthæo & Marco
describi, quorum uterque à militibus illusionis
ignominia & cruciatus ergo oblati sunt, quem
Matthæus vocat *acetum felle mixtum*, Marcus au-
tem *vinum myrrhatum*. Lyranus igitur aliam
querit conciliationem: *Erant* (inquit) *in Jerusa-*
lem maronæ devotæ & compassivæ, quæ vinum suave
& dulce Christo dabant ex devotione: Judæi vero ex ni-
mia crudelitate moti tale vinum epotaverant, & in
locum ejus substituerant acetum felle mixtum, quò ac-
commodat dictum Amos 2. v. 8. Vinum da-
mnatorum bibebant. Idem statuit Galatin. libr. 8.
de arcana Catholic. veritat. cap. 19. Sed quale
fuerit vinum myrrhatum damnatis exhiberi so-
litum, colligitur ex Rabinis. Refert enim Pau-
lus Fagius ex Maimonide, Juchasin & aliis, da-
tum fuisse supplicio afficiendis vinum, in quo ali-
quot grana thuris fuerunt posita, ut mortituro ratio-
nis ulus tolleretur, ne supplicii gravitatem atten-
deret, vel sentiret. In libro Sanhedrin in capit.
quod incipit נמר נמר sic legitur. Dixit Rab.
Hasda, quòd egressurus occidendus potabatur pulvere in-
sensu in Sepho vini, ut separarentur sensus ejus ab eo.
Hoc igitur ex parte in Christo observare volue-
runt, sed ex crudelitate quædam addiderunt, lo-
co enim vini acceperunt acetum & cum thure
simul myrrham, imò etiam ipsum felle vino im-
miscuerunt, ut maximam amaritudinem contra-
heret, quod fuit extremæ malitiæ & crudelitatis,
quin etiam irrisionis & contumeliæ, unus enim ex
militibus accepto poculo gessit fe ut pincernam,
rogans Regem, an bibere veller. Theophyla-
ctus putat vocem *χολης* in genere positam pro
amaritudine & per vinum intelligendum esse vi-
num acidum, *vappam & acetum* *ισως* (inquit) *ὁ οὖν*
ὄψιν λυ, ἢ δὲ σμύρνα πικρὰ ὡς χολή, sed fieri
potuit, ut & myrrham & fel vino immiscuerint,
ut hac ratione amarissimum illud redderent.
Quidam statuunt vocem *οὖν* scriptoris vitio
propter vocum affinitatem mutatum esse in
ὄψιν unde Latinus interpres apud Matthæum
etiam legit *vinum*, sed non est necessarium cor-
ruptionem quandam in textu Græco hic agno-
scere, quia vinum acidum indistinctè & vinum
& acetum appellari solet, ac fieri potuit, ut vi-
num illud, quod solenni consuetudine cum gra-
no thuris mixtum supplicio afficiendis dari fuit so-
litum; aceto largiter infuso ac myrrhæ felleque
admixione corruperint, cum Christo esset illud
dandum. Euthymius existimat, potum, quem
describit Matthæus, distinctum fuisse ab eo,
quem Marcus Christo exhibitum commemorat,
utrumque tamen fuisse amarissimum & potu inju-
cundum, *alii aliud* (inquit) *offerebant, unus qui-*
dem acetum cum felle mixtum, alter vero vinum myr-
rhatum. Syrus apud Matthæum dicit acetum Chri-
sto exhibitum fuisse mixtum *נמר נמר* quod
Tremellius vertit *absynthium*. Est autem vox ge-
neralis & fel & absynthium significans propter in-
signem, in utroque amaritudinem à rad. *נמר* acer-
bus fuit. Refert R.D. Kimchi in libr. radic. morte

Harm. Tom. III. vel Gerbard. Contin. pars quarta

plectendis morem fuisse præberi potionem ex suc-
co absynthii accelerandæ mortis causâ, quo sine et-
iam hoc loco videri potest acetum, fel & myrrham
fuisse addita, ut mortem accelerarent, ne plures
ejusmodi conciones de futuris malis audire cog-
erentur, cum fel & myrrha nimia suâ acredine lan-
guinem cieant & ad cor revocent. Apud Plutar-
chum in vita Antonii legitur acetum Antonio da-
tum quò celerius ex vulnere moreretur, quòd ea res mor-
tem acceleret. Atque eò respicit Hieronymus in
cap. 27. Matth. scribens: *Dant ei vinum myrrhatum,*
ut eum consopiant & mala eorum non videant. Ly-
ranus quidem hoc improbat ex eo, quòd acetum
sit frigidum & per consequens videatur magis differre
mortem, sed distinguendum est inter acetum sim-
plex & felle atque myrrhâ mixtum, itemque inter
acetum moderatè sumtum & largiter haustum.
Calvinus satis audacter scribit, *falli illos qui inter re-*
liqua tormenta Filio Dei instilla acetum numerant, ad
magis probabilem esse eorum conjecturam, qui putant
hoc genus potionis egerendo sanguini fuisse aptum, id-
eò; maleficis dari solitum, quò mors ipsorum esset ce-
lerior. Atqui an non tormenti genus est, viribus
fracto & delasiato acetum myrrhatum ac felleum
exhibere? an non Christus ipse plus quam mille
annis prius de hoc suo dolore, ignominia & con-
tumelia conquestus est Psal. 69. v. 22. *Dederunt mihi*
in escam fel & in siti mea potaverunt me aceto?
Quidam ex verbis Psalmi colligunt, ut loco vini ace-
tum fuit sumtum, ita loco panis particulas fel-
lis deficcari fuisse aceto intritas. *Arbitror* (inquit
Euthymius) *fragmenta aridi fellis in aceto fuisse*
emollita; ut acetum quidem loco vini esset, illa vero
fragmenta pro buccella panis. Et præcipue sanè potum
dederunt, consecutivè vero etiam cibum: his enim qui
animo destituuntur, vinum præbere solemus injecto pane
ut primum bibentes, postmodum etiam possint edere. Sed
simplicior est interpretatio, quòd Christo ad deli-
quium usq; animæ excarnificato & adhuc jejuno
refectionis loco felleum acetum pro cibo ac potu
dederint, cum enim potus in partem nutrimenti
cedat, idè cibi nomine quandoq; continetur, sicut
lac vocatur cibus Eze. 34. v. 3. cum tamen sit potus
1 Cor. 3. v. 2. *Vinum εὐμυρνωμένον* apud Marcum Sy-
rus vertit, *in quo mixta erat myrrha,* quod merito op-
ponitur illis, qui de vino aromatico & suavi Christo
exhibito hoc loco somniant, cum non ad refectio-
nem, sed ad tormentum, ignominiam & crucia-
tum felleum illud ac myrrhatum acetum ipsi fuerit
datum. Lactantius l. 4. div. Inst. c. 18. profert oracu-
lum alicujus Sibyllæ de hoc potu: *εἰς τὴν βροδύμα χολ-*
ωνὴ εἰς δὲ λυανὸν ἔδωκαν, τὸ ἀφίλοξενὸν τῶν τῶν θε-
ἔσοι τὸ ἀπέλω. August. lib. 18. de civ. Dei c. 23. sic
vertit: *Ad cibum autem fel & ad sitim acetum dederunt.*
Inhospitalitate hanc monstrant mensam. Voluit au-
tem Christus etiam hanc passionis partem pro-
pter nos sustinere, sicut pulcerrimè dicit Hierony-
mus, *hoc aceto myrrhato succus lethalis pomi abstergi-*
tur. Primi Parentes nostri in hortum Paradisiacum
collocati suavissimos arborum fructus in cibum ac
refectionem acceperant, sed per infernalem ser-
pentem à Deo averti venenum peccati hauserant,
sic ergo cum *Deus expectaret vos* ab hac vinea à se
plantata, accepit acetum felleum Esa. 5. v. 2. ut ergo
pro malo satisfaceret Christus acetum felleum
& myrrhatum sibi offerri passus est. Psal. 69. v. 22.
usur-

usurpatur vocabulum שָׂרָפ quod Grammatici exponunt de succo cujusdam herbæ venenatæ qualis est cicuta, aconitum &c. vel amaræ, qualis est absinthium, qui admixtus potui illic mortem inferat, Thargum vertit *fel capiti aspidum*. Deuter. 29. vers. 18. *ne sit inter vos radix gorminans* שָׂרָפ fel & absinthium, hoc est, cor impietatis veneno infectum, quod procul dubio respicit Epistol. ad Hebræos cap. 12. vers. 15. *Videte, ne quæ radix amaritudinis sursum germinans impediatur*. Jerem. 9. vers. 14. cap. 23. vers. 15. *Ecco ego cibabo populum istum absinthio & potum dabo eis aquam fellis* שָׂרָפ hoc est, aqua expressa ex herba ista, quæ שָׂרָפ vocatur. Thargum reddidit, *calice maledictionis malo, sicut capita serpentum*. Osæ 10. vers. 4. *& germinabit* שָׂרָפ *sicut fel iudicium*. Amos 6. vers. 12. *vertistis* שָׂרָפ *in fel iudicium & fructum iustitiæ in absinthium* Thargum vertit: *in caput serpentum malorum*. Ut autem succus venenatæ herbæ & venenum in genere vocetur שָׂרָפ procul dubio inde factum quod venenum capiti vel dentibus aspidum insit, שָׂרָפ enim alioquin significat *caput* רֶשֶׁת etiam significat *fel, bilem & venenum serpentis*, quorum quælibet suam habent amaritatem. Hæc omnia observante D. Gesnero in h. l. pulcherrimam præbent significationem. Nos omnes ex שָׂרָפ capite serpentis infernalis hausimus שָׂרָפ venenum peccati quod Christo שָׂרָפ capiti nostro propinavimus, qui has & similes injurias propter nos sustinens contrivit שָׂרָפ caput serpentis infernalis & שָׂרָפ veneno peccati nostri vim lethalem ademit. Nos omnes post lapsum fumus arbores malæ ac venenatæ ut rectè in nos conveniat querela Mosæica. Deuter. 32. vers. 32. *de vinea Sodomorum vineæ eorum & de agro Gomorrha. Uva eorum uva fellis & botri amarissimi*. v. 33. *fel Draconum vinum eorum & venenum aspidum insanabile*. Quando expectat DEUS, ut feramus *uvas*, tunc producimus *labruscas* Esai. 5. vers. 2. sed CHRISTUS propter nos acetum felleum sibi offerri sustinuit, ut hanc Naturæ nostræ corruptionem & infectionem emendaret. Qui mellis dulcedinem creavit, is fel propter nos gustavit, ut ad cœlestem regionem melle & lacte fluentem aditum nobis patefaceret. Nullum usquam solatium ac refectioem invenit, ut nos per eum omni consolatione & refectioe ditaremur. Consideranda etiam hoc loco extrema Judæorum crudelitas. Apud alios facinorosos ad mortem ductos procul dubio non solum diligenter, verum etiam superstitiose observarunt præceptum Salomonis Prov. 31. vers. 6. *Date siceram merentibus & vinum his, qui amaro sunt animo, sed CHRISTUM hoc loco indignum iudicant, in quem officia illa humanitatis conferantur. Christus eos olim deduxerat ex horrido deserto in terram Canaan fluentem lacte & melle, ut meritò de illis Moses dicat Deuter. 32. vers. 12. Dominus solus erat Dux ejus (Christus scilicet, ut colligitur ex 1. Corinth. 10. vers. 9.) vers. 13. *vehi fecit eum super altitudines terre, ut sugeret mel de petra & oleum de saxo durissimo*. Quam verò gratiam illi rependunt? *fel præbent, qui antiquitus mel suxerant, & quibus olim in locis aridis siti pressis petra fontem provolvens aquam subministraverat, ait Nicephorus**

lib. 1. Histor. cap. 30. Verè igitur poterat Christus de illis conqueri ex Jerem. 2. vers. 21. *Ego te plantavi vineam electam, quomodo ergo conversa es mihi in prævum vinea aliena? Quidam ex veteribus referunt huc dictum Jeremiæ cap. 11. vers. 19. Mittamus lignum in panem ejus, & eradicemus eum de terra viventium*. Justinus in Dialogo cum Tryphon. refert Judæos hæc verba in odium Christianorum ex multis exemplaribus dispunxisse, cum contingant vaticinium de Christi passione. Lactantius lib. 4. divin. Institut. cap. 18. *Lignum significat crucem & panis corpus ejus, quia ipse est cibus & vita hominum, qui credunt in carnem quam potavit, & in crucem, in qua peperdit*. Galatin. lib. 1. de arc. Cathol. veritat. cap. 4. Philonii libri Sapientia auctori hoc dictum tribuit: *Mittamus lignum in panem ejus. Ubi per lignum (inquit) crucem designavit, per panem ipsum Jesum Dominum nostrum, panis parabola sumens ex parabola tunc ex ore ipsius Domini vulgata dicitur: Panis, quem ego dabo, caro mea est &c.* Pontificii exponunt de corpore Christi è ligno crucis in panem Missaticum illato, ut ex pane fiat corpus Christi, ut Eccius exponit, inde Claudius Paradinus Gallus in symbolis pinxit crucem, cujus stipites per panem trajectus est cum inscriptione vaticini illius Prohetici. Sed circumstantia textus ostendunt, Jeremiam conqueri de petulantia & crudelitate suorum sympatriotarum Anathotensium, & verba Hebræa à Pagnino sic exponuntur, *corrumpamus veneno cibum ejus: ab aliis, perdamus arborem cum fructibus ejus*. Lyranus per lignum sive arborem intelligit toxicum, hoc est, fructus sive baccas taxi, quas præsentissimum venenum esse constat ex Plinio lib. 16. cap. 10. juxta hanc explicationem vaticinium referri potest ad potum felleum & venenatum Christo hic exhibitum. Sed simpliciter intelligitur de pane doloris, qui arenâ ligno & lapidibus mixtus videtur, qualem à sympatriotis sibi exhibitum esse Jeremias conqueritur. Augustinus in enarrat. Psalm. 68. *Fel & acetum Christo ab illis exhiberi dicit, qui contradicunt verbis Christi in sacra cæna & qui indignè sacra Cæna utuntur, Jam Dominus escam suavem acceperat (inquit) & in ipsam injectum est fel. Acceperat ipse escam suavem, quando Pascha manducavit cum suis discipulis, ibi Sacramentum corporis sui demonstravit. In hanc escam autem suavem tam dulcem unitatis Christi quis est qui dat fel nisi contradicentes Evangelii tanquam illi persecutores Christi? minus enim peccaverunt Judæi crucifigentes in terra ambulantes, quam qui contemnunt in celo sedentem. Quod ergo fecerunt Judæi, ut in escam quam jam acceperat, darent bibendum amarum illum potum, hoc faciunt, qui malè vivendo scandalum inferunt Ecclesie, hoc faciunt hæretici amaricantes &c.* Quotquot igitur humanarum opinionum ac traditionum corruptelis limpidos Israelis fontes insciant, illi poculum aceto & felle plenum Christo porrigunt. Cæterum, quod Christus dicitur potum illum recusasse, vel ut Matthæus exponit, *gustasse quidem, non tamen bibisse*, id quidam sic exponunt, Christum noluisse ullam consolationem ac refectioem in passione sua suscipere, putant enim per vinum ἐξ οὐρανοῦ μένον dulce aliquid nectar intelligendum esse, sed hanc opinionem niti

niti falsâ hypothesi ostendimus superius. Ideo autem Christus hunc potum sibi oblatum hiberè noluit, quia erat fellens & intoxicatus vitam celerimè abrumpens, jam verò Christus in cruce spontè mori voluit ad implenda vaticinia ac typos Veteris Testamenti, nequaquam verò potione quadam lethiferâ sibi ipsi mortem consciscere, ut verum maneat illud Joh. 10, 18. *Nemo tollit animam meam à me, sed ego pono eam à me ipso.* Quòd si grana quadam thuris ad mentis foporationem & alienationem contrahendam huic potui fuerunt admixta, qualem potum maleficis supplicio afficiendis datum fuisse Rabini scribunt, facile intelligitur, Christum ideò hunc potum recusasse, quia sanâ & integrâ mente mortem adire voluit. Judæi fellis amaritie linguam Christi, cui hactenus pepercerant, torquere voluerunt: sed Christus linguam suam, quâ pro inimicis suis oraturus, Testamentum conôiturus & Patri cœlesti animam suam commendaturus erat, mortificare noluit. Hieronymus dicit hac gustatione & recusatone potus sibi oblatus Christum significasse, quòd mortis amaritudinem propter nos gustaturus sit, sed tamen paulò post resurrecturus, quò etiam respicit Sedulius sic canens;

Tetigit labiis & ab ore removit.

*Quippe necem parvo degustaturus amarum
Tempore, quâ reduci contemnere carne pararet.*

Et quia in oblatione hujus fellei & myrrhati potus Judæorum crudelitas manifestatur, ideò recusatō illius commodè eò referri potest, quòd Christus hunc populum repudiare velit, eum *vera eorum sit vera fellis, & vinum eorum fel Draconum & venenum aspi-*

dum Deuteron. 32. v. 32. ideò post vaticinium de felle & aceto in cibum ac potum Christo exhibitis statim sequitur Psalm. 69. vers. 23. *Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum & in retributiones & in scandalum &c.* Augustinus potus illius recusationem allegoricè sic exponit, quòd hæretici & male viventes Christiani non recipiantur in unitatem corporis Christi mystici. *Quando Dominus gustavit fel & noluit bibere, hoc Sacramento significavit, quòd hæreticos & male viventes non admittat ad corpus suum. Si non eos pateremur nec omninò gustarem. Quia verò necesse est eos pati, necesse est gustari. Sed quia in membris Christi tales esse non possunt, gustari possunt, recipi in corpus non possunt &c.* Quòd si etiam nobis in cruce loco vini acetum, loco mellis fel amarissimum exhibeatur & afflictis afflictio addatur, exemplo Christi patienter id perferamus, scientes non olim vino lætitiæ in vita æterna inebriandos esse. Pf. 36. v. 9. *Esa. 65. v. 13. Luc. 22. v. 30. &c.* Ac veluti Christus postquam cum discipulis biberat dulce vinum in cœna agni Paschalis, noluit acetum Judæorum bibere, sed *asseruit, se non bibiturum de fructu vitis, donec illud biberet novum in regno Dei Luc. 22. v. 18.* sic post perceptam Evangelicâ doctrinâ (vino novo comparatâ Matth. 9. v. 17.) dulcedinem, non amplius bibamus acetum Judaicæ vêtustatis, gustato Christo, non amplius bibamus vinum mundi, est enim myrrhatum & intoxicatum, apud inferos egerendum, sed desideremus novum vinum in regno Dei cum Christo bibere &c.

*Jesu, dulcedo, vappâ potaris amarâ,
Tristia fella bibis, sic mihi mella paras.*

CAPUT CXCVIII.

CHRISTUS IN CRUCEM SUFFIXUS MEDIUS INTER DUOS LATRONES PENDET.

Matth. 27. v. 35. Marc. 15. v. 25. Luc. 23. v. 33. Johan. 19. v. 17.

RATIO ORDINIS.

Postquam protervi milites Christo myrrhatum vinum loco rescipientis potus exhibuissent, mox ad crucifixionem sese accingunt. Supplicium illud crucifixionis brevibus verbis Evangelistæ describunt, erat enim tunc temporis omnibus notum. Præcessit autem eam vestium exuitio, omnium membrorum atque artuum distensio, qualis in tortura hodie fieri solet, quam deinde secuta est manuum ac pedum clavis ferreis facta afflictio ac ligni crucis erectio. Crucifixioni latronum una cum Christo suspensorum Matthæus & Marcus præmittunt divisionem vesti-

mentorum, & *Ἰσθηθῶν* crucis Christi. Sed Lucas eum dixisset, alios duos facinorosos unâ cum Christo fuisse ad locum supplicii eductos, statim subjungit, eos fuisse simul crucifixos ac tum deum subjungit vestium Christi divisionem & tituli inscriptionem. Hunc ergò ordinem Lucæ sequemur, quia in principio Evangelicæ Historiæ pollicetur, se velle omnia *καθ' ἑξῆς* ordine scribere c. 1. v. 3. ac verisimile est, milites carnifices à Judæis impulsos ad executionem supplicii festinasse propter festi Paschalis propinquitatem ac tum deum absolutâ supplicii executione de vestibus fuisse sortitos.

Harm. Tom. III, vel Gerhârd. Cont. pars quarta.

U 3

CHRI-